

tatis aut generis conciliatione inducti, nonnunquam etiam certè cuiusdam potentiae auctoritate: bella populatim gerunt, ob illatas priuatis iniurias. Genus totum vindictæ auidum; & vt barbarum, in victoriâ insolens, captiuorum capita tanquam opima spolia & torques magno gaudio circumferunt.

Et quidem dicuntur humanis carnibus non abstinuisse, idque etiamnum perhibentur & Excommunicati & Armonchiqui facere: verum ab ijs, quorum est cum Gallis consuetudo, tantum scelus pròcul abest.

Religio tota certis incantationibus, choreis, & veneficijs constat; nimirum vt aut necessaria vitæ conquirant, aut inimicos amoliantur; suos habent Automoinos, hoc est veneficos, qui malū Dæmonem consulant de vita & morte, futurorumque euentis; & quidem sese illis mala bellua præsentem sæpe sistit, vt ipsi asserunt, vindictam annuit, renuitque, mortem inimicorum suorumvé, venationem prosperam, & cetera eiusmodi ludibria, quorum vt ne quid desit, etiam